



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1652. usque ad annum 1662

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 90119185

§. 43. Quidam Scriptores Catholici hoc anno denati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67372)

viunt usui privato, nullamque habent Sæc. XVII.
 januam in via publica, sive ingressum A. C. 1653.
 indifferenter omnibus permiffum: de-
 nique S. Concilii Congregatio die de-
 cima quinta Novembris statuit, quod
 Confessarius Monialium non censeatur
 approbatus, si fuerit deputatus a laicis
 sub prætextu Jurispatronatus, aut al-
 terius Privilegii, nisi sit unus ex appro-
 batis pro ceteris laicis ejusdem Diæce-
 sis, eoquod solus ille admittatur, quem
 Episcopus specialiter deputaverit.

§. XLIII.

*Quidam Scriptores Catholici hoc an-
 no denati.*

Decessere ex Catholicis Scriptoribus Dupin Nouv.
 Ecclesiasticis nonnulli, quorum Bibl. des
 eruditas lucubrationes recensere, operæ Auth. Eccl.
 pretium est: Hos inter primus occurrit Tom. XVII.
 Nicolaus Rigaultius Parisiensis, qui Erhard
 Tertulliani, Cypriani, & Minutii Fe- Bibl. Script.
 licis opera notis illustravit, Albaspinæi Ord. Præd.
 tamen & Petavii censuram circa In- Bibl. Script.
 fantium Baptismum, & Sacerdotalem S. J.
 Laicorum potestatem effugere haud
 potuit. Exstat quoque illius tractatus
 de Christi Domini effigie, quam mini-
 me speciosam fuisse contendit, a Va-
 vassorio propterea castigatus. Edidit
 insuper glossarium Lexicon Mysobarba-
 rum,

Sæc. XVII. rum, observationes de populi fundis,
A. C. 1653. notas in Onofambri Statageticum, Mor-
 tualia apta ad ritum prisca funeris, plu-
 raque alia opera critica: Obiit tandem
 Tulli gravi senio confectus die vigesima
 tertia Februarii. II. Gabriel Naudæus
 Virodunensis Canonicus, qui scripsit
 varios tractatus in librum de imitatione
 Christi, epistolam de non distrahenda
 Bibliotheca Mazariniana, monita de in-
 struenda Bibliotheca, Bibliographiam
 politicam, syntagma de studio militari
 & liberali, quæstiones Philologicas,
 apologiam pro Proceribus de Magia sus-
 spectis, instructionem circa veritatem
 Historiæ Fratrum rubræ Crucis, præ-
 ter alia non pauca varii argumenti o-
 puscula. III. Joannes Dicastillo ex So-
 cietate edidit librum de Jure & justitia,
 de juramento, & de censuris, de Sa-
 cramentis, de incarnatione, & de aliis
 quæstionibus Theologicis, in quibus
 tamen ob laxiores doctrinas carpitur.
 IV, Amabilis Bonæfons itidem Jesuita,
 scripsit Historiam sacram Verbi incar-
 nati, Neophyton seu Catechismum,
 officium Christiani, Epistolas & Evan-
 gelia cum meditationibus, & Calva-
 riam mysticam. V. Ludovicus de Mer-
 tola Carmelita, Magister ac Professor
 Theologiæ Moralis scripsit librum de
 eleemosyna, ejusque fructibus, tracta-
 tum

tum contra Judæos, aliosque hæreticos Sæc. XVII.
 præter vitas B. Mariæ Magdalenæ de A. C. 1653.
 Pazzis, & Ven. Antonii de Conceptio-
 ne, & Stephani de Pacificatione, nec-
 non Vitam Fratris Manuelis Tavares.
 VI. Ivo Pinsard ex Ord. FF. Præd. Fa-
 cultatis Parisinæ Doctor, qui præter
 Trophæum Pietatis edidit librum, cui
 titulus: *Delegatio Religiosorum, seu ex-
 men legitima laicorum confessiones excipiendi*. 194. §. 85.
potestatis, quem tamen librum apud Sor-
 bonam denuntiatum fuisse, jam supra
 meminimus: ipse tamen Auctor sexto
 post anno eundem hunc librum iterato
 prælo excudi curavit, illumque Michaeli
 Cardinali Mazarino Aquensi Archiepi-
 scopo nuncupavit. VII. Jacobus Goar
 ex eodem Ordine notis illustravit Geor-
 gii Codini Curopolatæ librum de offi-
 ciis magnæ Ecclesiæ & Aulæ Constans-
 tinopolitanæ, simulque adjecit recentio-
 res Orientalium Episcopatum notitias,
 voces honorarias, & appellationes di-
 gnitatum indices, quibus postremis sæ-
 culis Ecclesiastici, & Aulici honora-
 bantur. Pariter edidit rituale Græco-
 rum, Georgii Monachi & Tarasii Pa-
 triarchæ Constantinopolitani chrono-
 graphiam, necnon Nicephori Patriarchæ
 Breviarium præter Georgii Syncelli o-
 pera, & Synodi Florentinæ Historiam.
 Exstat quoque ejusdem Authoris liber,
 H 5 quo

Sæc. XVII. quo comprobatum reddidit, quod Oriens
 A. C. 1653. tales sacram Synaxin sub una specie
 sumpserint,

§. XLIV.

*Quidam Scriptores A catholici eodem
 anno mortui.*

*Freher.
 Theatr.
 Erud.
 Wolff. Bibl.
 Script.
 Andr. Bibl.
 Bal.*

Posteritati commendatos sese inter suos
 reddiderunt ex Scriptoribus Aca-
 tholicis hoc anno denatis. I. Cælesti-
 nus Mylenta, qui acriori, quam de-
 cuisset, stylo infectatus est Rhatmanum,
 Bergium, Movium, aliosque, scripsit
 quoque tractatum de Theologiæ ha-
 bitu & præcipuis fidei articulis præter
 Collegium suum Theologicum super
 Corpus Doctrinæ Prutanicum. II. Mar-
 cus Boxhornius, qui Historiam sacram
 & profanam a Christi Nativitate us-
 que ad annum millesimum sexcentesi-
 mum quinquagesimum protraxit, ac
 insuper dissertationem edidit de typo-
 graphicæ artis inventione, Monumenta
 & elogia Virorum Illustrium, plura-
 que alia posteris reliquit. III. Joannes
 Reffenius, qui præter Philosophica e-
 didit opus de adoratione Sanctorum,
 annologiam sacram, Uranologiæ sacræ
 disputationes duas, Ideam boni Pasto-
 ris, Loyologiam sacram, pluresque ser-
 mones. IV. Wolfgangus Meyerus scripsit